

M

V

M

π

6

π

4

20. programma sup obitu Jos. Caroli Caselij J. F.
21. Gratulationes de Magistratu, Corvino,
22. In natalibus u. Frid. Ulrichi D. B.
23. Gratulatio Jos. Caroli, nuptijs Henning v. D. Gfuler
in Saxonia.
24. Epistola pcedit. ad Theodorum Adam. in nuptijs
25. Alia q. pcedit. ad Henr. Dederfadio, de nuptijs
Nota hic elegans illud: q. pcedit. de mortalitate N.
26. Alia ad Henr. Strubium de eode arglo
27. programma pcedit. ad studiose iuventute. &
Cum primis cas. q. in communi dictorio
28. Epistola Caselij ad Strubium Engelb. in nuptijs
q. Chilian. Strubij
29. Jo. Cas. ad Detleivum Hastium Epistola.
30. Eiusdem Epistola dua ad Mylias.
31. Ad inaugurationem magnificae aulae domus in acad. J. A.
Invidio pcedit.
32. de Beneficentia a pudentioribus usu fortunae minime pcedit. N.
33. ad Erann. Marderslo J. C. gratulatio de nuptijs
34. Lunenburgi felicitas J. Casel.
35. programma in funere Septimiae Virginis Elis. Strubium
36. J. Cas. Epistola ad Lagnum. sup obitu iphig. Vxoris
37. Eiusdem Epistola ad D. Arn. Engelb. in qua novella de
arplissima primacij J. C. dignitate!
38. De invidio Strubium, Disputatio iuridica, q. gradu Axel. Engelb.
39. De Vita, obitu, et Caselij, programma, fo. 1613.
40. Documentu publicu de c. v. Jos. Caselij in acad. Pisana
J. V. Doctoris legitimis modis ac ritibus renunciato

41. Oratio cl. Heidmanni in funere cl. Caselij.
 42. Oratio cl. Horneij sup. eiusdem obitu.
 43. Oratio argli. Barenij.
 44. Praeputia in fun. C. N. Theodori Solanij. No. 613.
 45. Orationes duae C. Heidmanni
 1. de Inleo novo
 2. de beneficijs M. D. B. in acad. Jul.

Alte

Samuel Bd

Jul

Reverendo et doctissimo viro

M. Valentino Mylio.

Examinatore in Jura P. B.

J. W. Bach

Kenia

9.



IO. CASELII
AD EOBALDVM BRVM-
MERVM, I. C. CL.

Super secunda coniugis obitu

CONSOLATIO.

Illius item alia pauca epistola.



HELMAESTADI,
Ex officina typographica Iacobi Lucij,
ANNO. clō lō cX.





Μᾶζα γήρας παρὰ ψυχή.

Vdant per ædes cursitantes,
per vias,

Desideratis paruuli crepundîs:

Ex osculentur pupulas puellulæ,

Mares, vt hastas, torqueant arun=
dines:

Curis ego senex, & annis obsitus,
Nouum genus mihi repperi sola=
minis,

Meditorûe versus, scriptitorûe lit=
teras:

Mihi hoc labore comparatur otiû.

VI. Kalend. Decembr.

cl̄o l̄o cX.



CL. V. EOBALDO BRVMMERO

IC.º PATRICIO ROSTOCHIENSI,

amplissima reip. Stargardiensis syndico, af-

fini carissimo. S. D.

IOANNES CASELIUS.



Vius generis tu à me litteras expectasses, & ego tibi deberem, accommodatas videlicet tempori tuo, facile vidi ex tuis & amicissimè scriptis & dolentissimè. Namq; & veterem animum tuum, mei obseruatissimum multis verbis aperuisti, & luctum tuum mihi quasi ante oculos posuisti. Illud opus non erat, de quo mihi constitisset ab initio notitiæ nostræ, non minùs, quàm tibi de mea in te benevolentia, qua te ab eo tempore profecutus fui, quo & ingenium, & mores, & doctrinam tuam valdè probavi. Ex luctu autem tuo dolorem animo accipi grauem: Amisisti enim, quod & antè mihi vir integerrimus, & prudentissimus & ab annis iam triginta & amplius nobis amicissimus, Matthias Finccius, exposuerat, cum ipse hìc

A 2

mul-

multa mihi præterea de te, rebusq; tuis,
quæ libenter cognoscerem, referret. Amisisti
secundam quoq; vitæ tuæ sociam, & ipsam et-
iam factam ad nutum, ad ætatem, ad commu-
nem rem familiarem, tuorum liberum natura
quidem nouercam, sed animo matrem. Neq;
igitur sanè mirum, hoc Barbaræ Schaumiæ
funus æquè acerbum tibi accidisse, vt tot annis
antè Margaritæ Myliæ, quam in patria tua
Cl. Andreæ Mylij, qui tum erat in præcipuis con-
siliarijs Megapolitanis, soceri quoq; mei, filiam
duxeras. Hoc neq; tacente te dubitare pote-
ram: Myliam enim omnem amisisse videri non
poteras, ex qua & filium suscepisses & duas filias.
Mihi hoc euenit, cum tuæ illius sororem Gertru-
din Myliam subitò extinctam acutissimis late-
rum doloribus, sepeliuissem, vt liberorum pluri-
um superstitem conspectu non nihil respirarem,
qui sæpè tamen, præsertim filias intuens, eas na-
turali educatrice carere supra modum indole-
rem, quod munus alijs atq; alijs, donec adole-
scentulæ præstantibus ambæ viris nubarent,
cum perpetua animi sollicitudine credidi. Pæ-
dagogos enim filijs facile inueni peridoneos.

Feci

Feci in priore luctu tuo, quod amicitiae & affinitati nostrae debebam, ut te per litteras alloquerer, quod pro qualicumque animi medicina haberes, etsi virum te esse & utriusque sapientiae praeceptis imbutum, minime nesciebam, qui non minus sacras litteras didicisses quam coluisses à puero studia, non absque causa dicta sapientiae: ac praeterea usus, (adsue fieri namque nos vitae necessitatibus volentes nolentes oportet) te confirmauerat: tamen illud meum erga te studium tibi non ingratum futurum sciebam, & gratum fuisse cognoui. Tuæ autem res & tua ætas, quam tum mediam agebas, inuitabant te ad alteras nuptias. Namque ut omittam curam rei familiaris, quæ exteris vix unquam tutò creditur: quod si filium educare ipse per alium poteras; filiabus opus erat, quæ matris munus expleret. Consilium ego tuum statim probabam, licet tali ipse usus non fuisset: neque, opinor, uti debebam, cum me viduum iam premeret ingrauescens ætas: simul cogitabam, haud frequentem esse felicitatem secundi coniugij. Memineram etiam sapientis dictum, & Charondæ legem. Thuriorum autem legisla-



tor à sapiente legem suam acceperat , eamq;
huius auctoritate confirmabat:

Ο παισὶν αὐτῆς μητρὶαν ἐπεισάγων,
Μήτ' εὐδοκιμείδω, μήτε μελεχέτω λόγῳ
Ἐξ' τοῖς πολίταις, ὡς ἐπίσηκλον κακὸν
κτ' ἴ' ἑαυτῆς πραγμάτων πεπορισμύθη.
Εἴτ' ἐπέτυχες γὰρ (Φησὶ) γήμας τὸ πρότερον,
Ευημερῶν κατὰπαυσον· εἴτ' ὅτι ἐπέτυχες,
Μανικὸν τὸ πείρας δευτέρας λαβεῖν πάλιν.

Sed hæc & tibi cognita & hærent in memoria.
Illa tamen, qui cum Thurijs non viuerem, nihil
me mouissent, nisi me aliena ætas semouisset, &
tenuitas valetudinis, quacum omnem ætatem
luctari mihi necesse fuit, & cum supplicare in-
dies familiæ AEsculapij, tum multa perpeti o-
portuit. Tu autem, Eobalde, iuuenis, & fir-
mis viribus vir, inueniebas, nosq; eo nomine
tibi fauebamus, Sedinii ad Viadrum loco pri-
mario natam virginem, consulis filiam, Bar-
baram Schaumiam, quam per litteras ad te par-
ciùs laudo, ne tibi dolorem potiùs augeam,
quàm minuam: etsi memoria eorum quos de-
sideramus, inter dolendum aliquid effundit,
quod quid solatij siue mellis instar habeat.
Eiusmodi autem alia atq; alia vndecunq; cor-
roga-

rogare nos oportet ad leniendas quotidianas omnis generis miseras. Nullus enim dies oritur, quin nos quid animi angat, etiam quantillum sit. In mœroribus autem & animi doloribus, si qui nos pungunt profundius, maiore studio & fortè pluribus pharmacis opus est, quorum neq; nullæ sunt differentiæ. Ac primùm, sicut à foetidis nares & oculos aliò conuertimus, ita à tristibus respiciamus ad gratiora. Hoc ipse & intelligis & facis. Propterea enim mihi narras affinium tuarum erga te studium, & singularem erga tuos socrus beneuolentiam, erga te animi cultum. Laudem mereris & ipse, qui illos in honore habeas, uti illarū germanus, & huius filius. Hac coniunctione nihil ad omnes pulcrius, nihil vobis inter vos iucundius, nihil familiæ salutaris, etsi hæc iam affinitate, officijs & animis in vnam coaluit. In hac vestra familia habes maiorem natu filiam, Benignam Brummeriam, nuptam Ioanni VVachsio, non solùm legum ciuiliū scientia prædita, sed secreta quoq; reip. vestræ negotia gerentem secundo à te loco: quem cum tu imprimis absq; dubio doceas de pluribus, ille te contrà subleuare in
plæ-

plærisq; potest: atq; id vtrinq; , vti profectò fieri oportet, ita fieri perpetuo studio, minimè dubito. Filium autem Andream non minori voluptati tibi esse, quàm mihi est vnicus superstes Ioan. Carolus, non solùm pater ostendis, sed in epistola siue prædicat, siue hoc se agere, vt consequaris, præ se fert filius. Habebis autem hanc partem tibi non minùs pro gratulatione, quàm pro consolatione. Velim tuis studia mea meorumq; deferas: sed & ad filium tuum, itemq; ad generum tuum aliquid dabo: vt mihi ille suas fuisse gratas, hic se nobis carum esse intelligat. Vale. Helmæstadic ex academia Iulia pridie id. Octobres clò Io cX.

ANDREAE, EO BALDI F. BRUM-
MERO, patriciæ Rostochio originis, magnæ expectatio-
nis adolescenti, affini carissimo S. D.

IOAN. CASELIUS.



*Acit, vt pater, & vir sapiens, pater tuus, neq; maius in te beneficium conferre potest, quàm quòd te in litteris ad virtutem & pietatem in conspectu suo educat: & quidem in ijs litteris, quæ sunt pueritiæ tuæ, & ab ad-
ultiore facile negligantur, si aliò tres, vel cum patris venia: quin insici, siue potius imbui bonis moribus domi, hoc quoq; ex re ai salute tua est maximè. Huc pertinet, quod aui materni, Cl. V. Andree Mylij, soceri item mei, eximias virtutes, & cum primis pruden-*

dentiam πολυλουν, & huic seruientem maximè eloquentiam totos di-
es vobis decantat, ut hoc exemplum tibi ob oculos ponere, mihi mi-
nus opus sit, imò superuacaneum iudicem, tum quòd quacumq; illa
sunt, ex patre accipis, tum quòd ipse statim à magni illius viri o-
bitu, omnem ipsius vitam oratione mea non minus verè, quàm dili-
genter, & ut spero, disertè satis persecutus sum: quæ lucubratio et-
iam typis expressa, hætenus certo consilio in arcula mea recondita
asseruatur: publicabitur tamen propediem. Nec me fugit patrem
tuum mei quoq; amicissimam ad te, & apud quosq; familiares menti-
onem facere, & quadam à me edita tibi legenda dare non dubito,
quibus in isto litterario spatio confirmeris: legeris autem cum alia,
tùm epistolam, qua patrem ante annos duodecim super obitu carissi-
mæ uxoris, matris tibi desideratissima, Margareta Mylia, consolabar.
Sed & præter hanc epistolam, mittam tibi legenda, quæ tuæ adole-
scentiæ consentanea in promptu habebò. Non possum etiam face-
re, quin te patris quoq; exemplum intueri iubeam: qui quantus
hodiè vir sit, & ipse vides, & ex omnium bonorum erga ipsum ob-
seruantia magis cognoscis. Adolescens profectò, quod ex nemine,
quàm ex me cognoscès certius, ita æquabat, equalium quotquot e-
rant, modestia, & vera quàm plurima discendi perpetuo studio o-
mnes, ut plerosq; longo etiam interuallo anteuenteret: elucebat ex
ipsius vultu nativa verecundia, nec erat quisquam maiorum obser-
uantior, aut senibus obsequentior. Neq; nihil proficies ex sororis
tuæ Margaritæ marito, IOANNE VVACHSIO, & ipso viro
docto, & legum scientia haud vulgari prædito. Nam & socer de eo
sic sentit, & idem prædicant populares. Causa mihi quoq; est, ut de
paterno auo verbum faciam, etsi virum ipse nunquam vidi: qui
cum primum in rep. locum virtute & prudentia obrinuerit, ami-
corum dicitur fuisse studiosissimus, etiam in consulatu, vnde lau-
dem adeptus, apud bonos viri memoria in pretio habita semper fuit.
Cum porrò me quoq; videre desideraris, ut scribis, ego te non minus,
è proxima affinitate præstantium mihiq; carissimorum parentum
B
filium,

filium, liberorum meorum consobrinum videre peruelim, idq̄ futurum non dubito, si lucis huius usura mihi paullo diutius frui contingat. Tu verò facies cum in hac re, tum in omnibus alijs, nihil prater voluntatem & consilium patris. Neq̄ enim quisquam prudentius, atq̄ etiam felicius de liberis statuet, quam ipse pater, cui abundè domi consilij est. Vale. Helmaestadio ex academia Iulia, idib. Octobr. c1o 1o CX.

IOANNI VVACHSIO I. C.

S. D. IO. CASELIVS.



Va humanitatis in uniuersum esse iudicantur, ea ad me singula pertinere & ipse censeo, & ne quid eorum in me desideretur, sedulo do operam. In ijs & hoc est, ut, qui sibi inter se propiores natura sunt, ad mutua studia obligati se diligant, natura siue omnium gentium legibus. Quod mihi ad te primùm scripturo in mentem veniebat: neq̄ tamen altius repetere attinebat, de quibus nemo dubitat: tu verò doctrina præditus, & ad humanitatem factus, cum idem sentis, tum ita affectus es. Rectius igitur à re ipsa ordiar. Fuit mihi annis pluribus notitia, & amicitia simul, cum EOBALDO BRUMMERO: adolescentem statim diligebam ob modestiam & acre litterarum studium. Hoc etsi primum animorum vinculum est, nihil veter tamen id alijs atq̄ alijs nodis astringi arctius. Euenit autem, ut uxoris meae sororem in patria iuuenis uxorem duceret, ipsam quoq̄ filiam Cl. ANDREAE MYLII. Ut vno loco vitam degeremus, diuturnum non fuit, ut fatum est præditorum litteris, siue rationes nostræ, quemq̄ suæ cogunt, & publicè quoq̄, non solum expedire nostra videtur. Expetebatur EOBALDVS à rep. primaria Stargardiensi, ut esset senatui à primis consilijs: quæ consilia à Varno me ad Elmum abduxerint, cum ille tibi sæpius exposuerit, in re cognita nolim esse verbosior. Ita & ille & ego, nostraq̄ item familia.

milia, locis disiuncti, non item animis fuimus: quod erat amicorum
& bonorum affinium: neq; non ex eo usq; tempore perpetuam ani-
morum coniunctionem nobis inter nos declarare conati fuimus, &
studijs necessarijs, & litteris, quæ quo essent rariores, hoc gratio-
res. Aliquando quæ istuc ad unum mensem gererentur, non com-
perimus: quæ hic fuere turba, frequentius istuc perferebantur, vel
ab ipsa fama, suspicor. Bruma autem superiore cum & paullum mi-
hi esset otij, & mittendi certa commoditas, nunciaui de meis rebus,
quæ habebam: ille per eundem hominem sua mihi narrauit. Ex
amicis de secunda EOBALDI coniugis obitu acceperam: etiam
elocasse ipsum priorem natu filiam. Gratum mihi fecit affinis, qui
accuratius narrauit omnia, se MARGARITAM filiam viro bo-
no, eidemq; docto collocasse in matrimonium non solum sui ordinis
homini, sed eiusdem præterea collegij. Quæ enim consilia ciuitatis
ipse potissimum perpetuo studio dirigeret, in ijs tuam operam secun-
dam esse, qua ingrauescente propemodum atate, quantum opus es-
set, & veller, interdum subleuaretur. Multa alia, confirmata
postea aliorum sermonibus, è quibus quis esses, qua industria & fide
in isto munere, qua item obseruantia erga socerum, facile cognoui:
libenter equidem cognoui veteris amici & affinis carissimi hac in
parte felicitatem: neq; potui facere, quin & ipsi de tali genere, &
tibi de tam præstante socero gratularer: est, quod uterq; gaudeatis:
id ex mea quoq; felicitate, vestra pari, vobis rectè asseuerem. Nam
cum multa aduersa mihi ab annis viginti euenerint, in hac quoq;
ipse parte, non tam prudentia mea, quàm diuinitus nactus sum
duos optatissimos generos, THEODORVM ADAMIVM, &
THEODORVM HVPÆVM, Sesenates ambos: nec est Sesena
ignobile oppidum ad Herciniam: ipsos consobrinos, in litteris edu-
catos, viros egregiè doctos, vite genere iurisconsultos. HVPÆVS
enim cum à secretioribus consilijs annos plures fuisset academia
IULIAE, iam in ALVESLEBIORVM pratura ius dicit:
ADAMIVS ab initio hinc simul artem dicendi nobilem docuit, &

tum in ordine iurisperitorum, tum in iudicio provinciali sententiam dixit, atque etiam hodie utroque munere fungitur: rhetorica alteri delegata, interpretatur in academia Pandectarum. Ambo autem meam praedicationem superant: primum hoc omnium, quod me colunt, ut parentem: hinc conijce caetera: & hoc habeo in primis, quod & e scriptis veterum, & ex ipsa philosophia non minus quam ex historia, & e peregrinatione transitis Alpibus, maiorem sibi prudentiam iuvenes comparauerant. Virique etiam narraui soceri tui de te praedicationem: vobis non minus gratulantur, quam ego. Vos autem meam hanc quoque felicitatem scire potius volui. Esse enim nobis e publicis plurimum annorum calamitatibus, quas vel natura rerum nobis intulit, vel turbulenti homines, tum alijs: tum sibi met ipsi potissimum excitarunt, quibus nos etiam premamur, vel afficiamur, innotuit per orbem: mala autem domestica sine querelis minus iniquo animo toleranda intelligimus: deque illis querelas texere & frustra sit, & palam abiecti animi. Vale. Helm. ex acad. Iulia idib. Octobr. c19 19 CX.

EOBALDO BRUMMERO IC.^{to}

S. D. IOANNES CASELIUS.

B Enigniores & humaniores litteras plures simul non acceperam, atque istinc, in quibus & tuae erant. Dum quaero certum hominem, per quem respondeam, menses aliquot elabuntur, donec se ultro mihi offerret ciuis, siue familiaris vester, IOACHIMVS FABRICIVS, cui plus gratificari viderer, quam ille mihi, qui singularem a me iniret gratiam. Hoc enim agebam, ut fidem meam tuerer apud principes reipub. qui de me pridem ultro meriti, nouae aliquid gratiae & litteris & per suos osten-

stenderent: principum autem beneficia in pretio habenda sunt, quæ vel in alios redundant. Illæ verò scriptiones cum mihi totos dies eriperent, tuis amantissimè scriptis & doctissimè, satisfacere non poteram, ut volebam, & oportebat: moræ aliquid rogabam, cum à Transueseranis istuc iturus indies hic expectaretur. Itaq; nihil neglexi, datis ad te, cuiusmodi velles, litteris, alijs, ut mihi videretur, ad filium tuum: neq; præterij generum, tibi item carum, tui adeo obseruantem, laudatum ab alijs. Animorum enim nostrorum coniunctionem tam diuturnam, & firmam, neq; ieiunam esse oportuit, neq; sterilem ipsam volumus: non oportuit, contractam à talibus, & conflata à tali principio. Principium, siue aditus nobis ad notitiam fuere litteræ, quas tu disceres, nos doceremus. Diligentia mihi placuisti, quod satis est, sed in alijs non id, quod quem intimè deuinciat. Me modestia tua & verecundia, ut tibi præ pluribus vellem, facile commouebant, iam pergentem ad ingrauescentes annos. Humanitatem ut omnibus, ita tibi studio præstiti & integritatem: quorum hanc in quo quis desideret, gratus erit nulli mortalium. Namq; asperitatem morum boni viri fortè quis ferat & superet, explorata è beneficijs animi beneuolentia. Hæc sunt in viro iustæ ætatis argumenta solida virtutis, sicut altera in iuvene, quæ neq; alterum fallant, & incrementa sumant indies. Etenim vbi maiorum obseruantia & pudor, ibi simul virtus, siue perpetuum virtutis studium. Itaq; cum vna viueremus, in cultu amicitie inter nos nihil fuit desideratum: neq; ex quo è patria ad Inum migrasti, alius in me meosq; fuisti:

sti: mei tibi animi ipse testis eris. Nec enim de me, vel quod
ad hanc rem, vel ad alia vitæ officia, loquar. A te boni viri
officia religiosè seruata ab initio scio, vt nihil ommitteres o-
mnium, quæ deberes aut præstare posses in amplissimo isto
munere, quod ista tibi detulisset imposuissetq; ciuitas. Recor-
dor enim, vt cum adueniens, alia atq; alia desiderari depre-
hendisses, siue tibi ostenderent amantes patriæ ciues, accura-
tè generentur omnia. Erat vobis curæ educatio iuuentutis
præter cætera. Itaq; tecum adducebas, quos probaremus, vsus
item nostro consilio, vt ante omnia ciuitati & ciuibus consu-
leretur, eorum præcipuè ratione habita, qui ad aliquam par-
tem reipub. educarentur. Eiusmodi & mihi ingenia solitus
es commendare, & ego tibi, vt tuæ curæ & ipse suffrager, &
quodammodo respondeam. Non erimus in hoc officio remis-
siores, & alijs atq; alijs subueniemus siue re siue consilio, quo-
rum hoc illius partes explet vt plurimum. Apud nos mode-
stia & discendi diligentia se mihi ciuis vester, **DAVID**
CRYSIVS, admodum deuinxit, vt iuuenem his optimis de
causis commendare non dubitarem, & tibi & pluribus: ita
profeci, vt vestra quoq; voluntate mihi carior factus fuerit.
Nihil noui fecero, si ipsum tibi reddidero, vt eundem ysdem
de causis commendes patriæ. Non potui enim improbare, vt
specimen studij siue profectus adferret. Magis enim consta-
bit, & quid agat, & quibus cum viuat, & quid de ipso por-
ro speretis: cumq; re ipsa datam fidem obligarit, nunquam
eam deinceps fallat. Quod mihi de iuvene persuadeo, si idem
ciuibus persuadebis, mihi facies gratissimum, neq; minus de
cui-

ciuitate vestra, quàm de ipso mereberis. Namq; se patriæ susceptum & natum credit, cuius sententiæ qui sunt, & esse perseuerant, boni citra dubium & vtilis ciues sunt deniq; patriæ. Vale. Helmæstadio ex ac. Iul. Kal. IXbr. cIo Io cX.

E O B A L D O B R V M M E R I C .^{to}

I O . C A S E L I V S S . D .

Habent hoc in consuetudine honoratiores, ydemq; fortunatiores, ut sibi inter se vbi videatur, potissimum tamen sub ineuntis anni auspiciū, vtrò citroq; munera mittant, puta gemmas, siue annulos aureos, siue ad vinum expressas imagines, quæcunq; huius generis, testificantia mutuam beneuolentiam, futura & ipsis & minoribus animorum beneuolentissimorum, singularis deniq; amicitia, monumenta. Hunc morem, humanitatis plenum, priscis quoq; sæculis seruatum è scriptoribus cognoscimus, neq; minus hoc testantur historia, quàm poëta prodiderunt. Namq; & hi, si non quæ ita reuera gesta sunt, sed quæ inter homines geri solent, bona item fide commemorant. Licet autem & tenuioribus, in nonnullis tamen ingenij diuitijs, illos æmulari, & permutare nobis inter nos nostra, & illis, quæ dixi, pretiosis haud inferiora, si rationis statera ponderentur. Recordor mihi aliquando ab amico pernobili & fortunato, sed ipso tamen multis animi dotibus & haud vulgaribus litteris prædito (is erat ex illustri Schulburgiorum gente, Daniel, Matthie filius) exprobratum, me huius generis munerum parciores esse, quàm oporteret aut ille vellet. Sed ego me talibus ipsi ostentare prætermiseram, ut neq; in assentationis suspicionem apud quemquam incurrerem, neq; alius generis remunerationem querere viderer. Eum tamen virum mortali vita functum non vno loco celebraui, persoluto, uti spero, debito mutua amicitia. Quin hæc scribenti & alia in mentem veniunt, quibus

quibus cum viuerent, munus non paruum, persolui autem liberaliter
omnia exemptis consuetudine mortalium. Parium autem hac in re
semper fui studiosior, qui dona erudita & darent & desiderarent,
epistolas cultissimas etiam longinquorum qualibuscunq, meis iden-
tidem remunerans. In hoc ipso genere cum te inferior esse non de-
beam, quod tu semper in pluribus & arduis negotijs, ego & genere
vita & nunc etate otiosior, mitto, qua non nolle te sciebam, expecta-
re pridem iusseram. Epistolam ad te consolationem inscripsi super
secunda tua coniugis obitu, non tam ut te à mœrore auocarem, (no-
ueris namq, ipse modum dolori ponere:) quàm ut matronam hono-
ratissimam ego etiam, qua possem & deberem, laude afficerem. Ad-
ieci litteras ad filium tuum Andream, nepotem soceri nostri An-
drea Mylij, ipsi proponens & patrem & auum. Deniq, genero tuo
gratulor. Huiusmodi sunt nostra munera, gemmis interdum non
estimanda & cariora, neq, iniuria: Ut enim, quæ ex intimis ter-
ra visceribus inestimabilis pretij effodiuntur aliquid cœli habeant,
quod non diffitendum censeo, habent certè τὰ ἴσα τετραδευδῶν δῶρα
plurimum mentis bonæ, & diuinitatem redolent. Quod qui non
intelligunt, aut cum intelligant, à mente ultrò discrepantes, non
sentiunt: hi sine mente errant, siue mente vacui sunt. At neq, in
hoc nos dissentire, mihi habeo persuasissimum: atq, hac mea opinio-
ne fretus, hac quoq, scripsi, quibus cæteris perscriptis minus for-
tè opus esset. Vale. Helmaſtadio, ex acad. Iulia

Vl. Kal. Decemb. clj lxx.

F I N I S.



AB 87-900


ULB Halle 3
002 717 867




Sb.

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

9.



IO. CASELII
EOBALDVM BRVM-
MERVM, I. C. CL.

Super secunda coniugis obitu

CONSOLATIO.

Filius item alia pauca epistolæ.



HELMAESTADI,
officina typographica Iacobi Lucij,
ANNO. clō lō cX.

